



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 35. Et quocunque introierit. v. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

cant Sacerdotes Domini & populum portare, & peccata eorum latere in doctrina sana, & mansuetudine corripere inquietos, consolari pusillanimes, suscipere infirmos, patientes esse ad omnes. Hoc igitur Dominus egit in serui aquam baiulantis mysterio, ut ostenderet se iustum, id est suum letuum deducere per vias rectas, & ostendere illi regnum suum, & dare illi scientiam sanctorum, honestare illum in laboribus, & complere labores illius, quos in dispensatione mysteriorum Dei impendere tentur.

§. 35. Et quocunque introierit. v. 14.

Tam cæcam & voluntariam voluit esse obedientiam Petri & Ioannis, Apostolorum suorum, sicut & aliorum, ut qui pro Christi nomine & ad vocem eius reliquerant patrem & matrem, domum & agros, fratres & sorores, etiam sequerentur ad omnia quæcunque mandauerit eis cæca voluntate, sine contradictione, replicatione, petitione causæ, curiositate, aut simili affectatione humanæ sapientiæ: unde hic dixit: quocunque introierit, non domum interrogando, non Dominum, aut signum domus, sed solum ut sequerentur illum quem Christus sequi, ipsis mandasset: nec mirum enim errare non possit in errorem eos utiq; non inducet, sed in verbo eorum securè procedent. Religiosa sane est hæc doctrina & perfectio magna, ut nam eam saperemus & intelligeremus quicunque mundo abdicauimus nos, ut superiores nostros non causam, cur hoc illudæ superior mandauit sciscitemur, nec cur id fieri permiserit examinemus, inde enim murmuraciones, oblocutiones & opiniones periculose inter fratres introducuntur, & ex paruo incendio vel scintilla opinionum magnus & inextinguibilis ignis sæpe oritur oppositionum, oblocutionum, inobedienciæ, rebellionis, inuidiæ, tristitiæ, morborum, & mortis etiam æternæ occasio.

O Deus, ab hoc malo iudicij proprii & voluntatis propriæ libera oblocutionem omnem subditos & sub obedientia constitutos, ut quodcumque ei imperatum erit, & manifeste tuis aut Ecclesiæ præceptis non est contrarium id omne simplici animo & cæca voluntate exequantur.

§. 36. Dicite Domino domus, quia Magister dicit. v. 14.

Ecce aliud magnanimæ obedientiæ instrumentum, scilicet, quia Magister dicit: mirum verbum, quod iam olim huic nostro Magistro Pythagoras suffuratus, tanquam suum apud suos vendidit; Sed quid dicam non timebas Christe, ne Dominus, qui hoc audisset ambigeret, quis ex tot Legum Magistris ac Doctoribus id iuberet, ne forte se à Gamaliel nuntium pararet accipere, aut à Nicodemo qui & ipse erat Magister in Israel, nisi forte iste Dominus sciat quod Christus sit magister vnicus, ita ut, licet multi magister